Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,

DE

JVDICIS CRIMINALIS QVATVOR VIRTVTIBVS,

IN

ORDINATIONE CAROLINA ART. I.

COMMENDATIS,

QVAM,

AVTHORITATE CELEBRATISSIMI

JCTORVM ERFFVRTHENSIVM ORDINIS,

SVB PRÆSIDIO

MAGNIFICI ACADEMIÆ RECTORIS,

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTHI,

JCTI, SACRI PALATII CÆSAR. COMITIS, PRÆLAVDATÆ FACVLT. JVRID. DECANI, ET ASSESSORIS, COD. PROFESS. PVBL. ORDIN. CIVITAT. SYNDICI ET CONSVLIS,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ACADEMICOS

RITE CONSEQVENDI,

PVBLICE VENTILANDAM EXHIBET

AVTOR ET RESPONDENS

HENRICVS GOTTLOB Edelmann/

Leucopetra-Miſnicus.

DIE XXIV. SEPTEMBRIS M DCC XXXIV.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORE.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO
PER-ILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO DOMINO

JOH. CHRISTOPHORO DE POICK,

HÆREDITARIO IN CROSSEN ET RINGETHAL &c.

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI, ET ELECTORI SAXONIÆ SERENISSIMO, A CONSILIIS CAMERÆ ET MINERALIVM,

DOMINO SVO, PATRONO
ATQVE
PROMOTORI SVMMO,

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
IN SVI COMMENDATIONEM VLTERIOREM
HVMILLIMA SVBMISSIONE ANIMI
D. ET D.

ſubjectiſſimus Cliens
HENRICVS GOTTLOB Edelmann.

Digitized by Google

CAP. I.

Quatuor Judicis criminalis virtutes recenſet.

§. I.

INter infinitas fere, quas Doctores in medium proferre ſolent, Judiciorum diviſiones ac differentias, deque quibus ipſe DVARENVS faſſus eſt, quod integri anni ſpatium in tradendis iisdem docendo exegerit, nec tamen inſignis hujus, ſi Diis placet, laboris finem fecerit, illa potiſſimum eminet, quá illud a fine in *criminale* & *Civile* diſpeſcitur. Quemadmodum enim Judicium ipſam cauſæ controverſæ legitimam tractationem inter litigantes coram judice eum in finem inſtitutam denotat, ut hujus ſententia lis finiatur; Ita *civile* judicium illud dicitur, in quo cauſæ Civiles ad privatum actoris intereſſe tendentes ventilantur, *Criminale* verò, in quo cauſæ criminales publicam vindictam pro fine habentes, tra-

Digitized by Google

tractantur, *L. 25. §. f. ff. ad SCt. Silan. §. 10. Inſt. de Injur. L. 9. §. 5. ff. de Publican. & Vectigal.* Compara, ſi velis, CARPZOVIUM *Pr. Crim. P. 3. qu. 102. n. 78.* ubi ſatis notam Juris Civilis & Saxonici quoad cauſarum criminalium appellationem invenies, juxta quod poſterius cauſæ criminales illæ demum dicuntur, quæ corpus affligunt.

§. II.

Omne judicium, præter cæteras perſonas principales & acceſſorias, Judice potiſſimum ſtabilitum eſſe oportet, ergo nec criminale eodem carere poterit, quod ut multis argumentis eatur probatum, non eſt neceſſitatis. In id tamen ut inquiratur, quibusnam qualitatibus & virtutibus judex criminalis, ſi rite officio ſuo fungi velit, præditus eſſe debeat, operæ forſan erit pretium. Quodſi probi Judicis requiſita in univerſum æſtimare velimus, ea egregie & in compendio deſcripta reperiuntur tàm in ORDINATIONE CAMERALI quam in RECESSIBUS Imperii, & ipſo SPECULO SUEVICO, quarum Imperii Legum loca ſollicite congeſta videri poſſunt apud ANDLERUM *Tom. I. Rec. Imp.* & prælaudati *Speculi Suevici* contenta cum eleganti ac docta Epicriſi recenſuit excell. KRESSIUS in *Diſſert. de Ration. decidend. Cap. 4. pag. 72.* ad quos, ne actum agam, brevitatis ſtudio, me remitto, in eô ſpeciatim nunc occupatus, ut quænam, Judicis Criminalis virtutes ſint & qualitates, breviſſimis adumbrem, atque oſtendam.

§. III.

Has ipſas depictas inſtar omnium nobis reliquit In-

Digitized by Google

Inviƈtiſſimus Imper. CAROLUS V. cum Imperii ſtatibus in *ordinatione Criminali Art. I.* ſequentibus verbis: Erſtl. ſetzen/ ordnen und wollen wir/ daß alle Peinl. Gericht mit Richtern/ Urtheilern ꝛc. beſetzet werden ſollen/ von frommen, ehrlichen, verſtändigen und erfahrnen Perſohnen/ ſo tugendlichſt und beſt dieſelbige/ nach Gelegenheit jedes Orts gehabt und zu bekommen ſeyn. Darzu auch Edle und Gelehrte gebraucht werden mögen ꝛc. Nemo non videt, quatuor potiſſimum qualitatum ac virtutum mentionem fieri, ſcilicet (1) *Pietatis* (2) *Honeſtatis*, (3) *Prudentiæ* & denique (4) *Experientiæ*. Egregiæ profecto virtutes, quæ, ſi in perſona Judicis confluant, nullum dubium, quin juſtitia in decidendis controverſiis & caſibus criminalibus exacte adminiſtretur, cum econtra illis vel in univerſum vel ſigillatim deficientibus metuendum ſit, ne injuſtæ ſententiæ tam in Reorum, quam reipublicæ damnum & perniciem proferantur, atque ſic tam finis Legum latarum, quam Jurisprudentiæ nequaquam obtineatur.

§. IV.

Ne tamen ab omni tractandi ordine alienus eſſe videar, ita in præſenti ſpecimine Inaugurali verſabor, ut præprimis in primo Capite paucula quædam de ſingulis hiſce virtutibus generatim proponam, ac dein, in reliquis capitibus, quomodo per totum Proceſſum Criminalem ac ſingulas ejusdem partes prælaudatæ virtutes vim & effectum ſuum in Judice applicative ſe ſe exerant, vel potius exerere debeant, ſuccincta & qua fieri poteſt, brevitate, ob temporis, intra quod ſum coarctatus, anguſtiam demonſtrem.

§. V.

§. V.

Dum itaque in Rubricâ Diſſertationis mentionem virtutum Judicis criminalis injeci, neminem facile fore confido, qui neget: In ejusmodi judice conſtans animi propoſitum, actiones officii omnes ad legem componendi, requiri. Ita enim definiri ſolet virtus, quod ſit conſtans vitam ad legem componendi animi propoſitum, cujus proprietates non ſolum in infucato ſtudio toto animo ad voluntatem Numinis & Legislatoris attendendi, & in eam inquirendi, ſed quoque eandem exequendi, ac actiones ad eam tam accurate conformandi, ut nec in defectu nec exceſſu peccetur. Hæc virtus cum per varias actiones ſe ſe exerat, quæ dein â Jurisprudentia diriguntur, *officium* etiam appellitari poterit, adeoque mihi perinde erit, ſi pro voce: *virtutis*, in rubricâ poſita, vocabulum: *Officii* ſubſtituere malis; quamvis ea, quæ officii rationem ſubeunt, ab iis, quæ virtutis ſunt, ſecundum Philoſophiæ practicæ principia proprie differre non ignorem, cum multa per officii rationes fieri queant, quæ tamen ex virtute, hoc eſt, ſtudio ſuas actiones ad voluntatem Numinis componendi, non fluant. Hinc officium â PUFFENDORFFIO *tr. de officio hominis & civis L. 1. C. 1. §. 1.* dicitur actio hominis pro ratione obligationis ad perſcriptum legum recte attemparata.

§. VI.

Ex quo verò IMPER. CAROLUS V. citato *Art. 1. Conſt. Criminalis* quatuor ſupra dictarum Virtutum meminit, pietatis ſcil. honeſtatis, prudentiæ & experientiæ, dicendum eſt, eum ad potiſſimas tantum reſpexiſſe,

Digitized by Google

xiſſe, cæteras autem præter nominatas hoc ipſo noluiſſe excluſas; Neque, dum has ipſas virtutes in rerum criminalium judice requirit, protinus exiſtimandum, â cauſarum civilium judice easdem eſſe poſſe alienas. Nam & hunc tam pium & honeſtum, quam prudentem & rerum expertum eſſe debere, ſi munere demandato rite fungi velit, res ipſa loquitur; hoc tamen negari nequit, propter cauſarum criminalium gravitatem cum fortunæ, corporis & vitæ periculo conjunctam, in judice criminali easdem qualitates requiri eo magis ac per excellentiam.

§. VII.

Per judicem criminalem intelligitur talis perſona, quæ publica pollet autoritate de cauſis criminalibus cognoſcendi, illasque decidendi & exequendi. Non itaque ſermo eſt de *arbitro*, cui quidem etiam poteſtas in cauſis controverſis non exceptis judicandi, ſed *privata* ſaltem, ex partium compromiſſo, non tamen *publica* competit; Imo cauſas criminales ne quidem arbitro ex compromiſſo partium cognoſcendas & decidendas committi poſſe ex *L. 32. §. 6. ff. de Recept. qui arbitrium recep.* ſatis manifeſtum eſt. Confer. JOAN. à SANDE *Deciſ. Friſic. tit. 8. def. 5.*

§. VIII.

Hic autem judex criminalis duplicis eſt generis. Vel enim Jurisdictionem, quam exercet, habet in patrimonio, vel illam ſaltem intuitu officii, quod ſuſtinet, perſonalis adminiſtrat. Prioris generis ſunt illi, qui prædia feudalia, quibus jurisdictio alta ſ. criminalis inhæret, poſſident; adeoque hæc ipſa jurisdictio quo-

que regulariter feudalis eſt, quamvis infitias iri non poſſit, illam alicubi etiam jure allodii haberi cœpiſſe, & hæreditariam factam fuiſſe, teſte CONRINGIO *de Judiciis §. 83.* Hæc patrimonialis jurisdictio nobilibus ipſis intuitu prædiorum, quæ poſſident, juxta *Art. 2. Ord. crim.* exercenda eſt, ita ut nec eandem regulariter delegare, vel alteri exercendam mandare poſſint. Id quod ex ipſis Juris Romani principiis productum eſſe arbitror, ex quibus conſtat, quod merum imperium lege ſpeciali competierit, conſequenter nec in regulâ, niſi ob neceſſariam abſentiam, vel adverſam valetudinem mandari potuerit. *L. 1. pr. & §. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. eſt jurisd.* Sed moribus noſtris aliud nihiloſecius invaluiſſe, quotidianâ condocemur experientiâ; cum Nobiles Dominique Jurisdictionum rariſſimè Judicio Criminali ipſi aſſidere vel judicare, ſed per officialem vel juſtitiarium, licet nulla adſit delegationis cauſa, jurisdictionem criminalem exercere ſoleant.

§. IX.

Nunc ad ipſas Judicis criminalis virtutes ſupra laudatas me conferam, inter quas *Pietas* primum locum ſibi vindicat, quod verba dicti *Art. 1. Ord. Crim.* ſatis indicant: ibi: Daß alle Peinl. Gerichte mit Richtern/ Urtheilern ꝛc. verſehen und beſetzet werden ſollen/ mit frommen ꝛc. Perſohnen. Pietatis varios ſignificatus non morabor, quos reperire licet apud doctiſſ. BUDEUM in *ſelect. Jur. Nat. & Gent. Differt.* de *Pietate Philoſophica §. 3. ſeqq. p. 199. & 200.* Hoc nomine nihil aliud mihi venit, quam officia erga immortale præpotensque Numen; quorum neglectus vi oppoſitorum impietatem denotat,

tat, quæ judicis criminalis muneri ita officit, ut illud plane ſubvertat & deſtruat. Pietatis ſane defectus reliquas Judicis virtutes, ſi quas habere poſſit, quo minus radices agere ac in ſuccum & ſanguinem verti queant, impedit & ſuffocat. Neque à veritate aberrare mihi videntur, qui aſſerunt, quod utut in pietate voluntatisque emendatione nec eruditio nec prudentia conſiſtat, neutram harum tamen verè ſine pietate conſiſtere poſſe. Ab hâc pietate, ſine dubio & inſtar omnium ſunt alieniſſimi, qui atheiſmi monſtroſis ſtultisque prorſus principiis ſunt imbuti. Quid quæſo juſti, quid æqui, quid denique recti a Judice, qui Deum non agnoſcit, quique omnis plane de eo ſenſus eſt expers, in tam graviſſimo negotio & judicandi munere tibi promittere poteris? Putasne talem jurisjurandi, quô juſtitiam adminiſtraturum promiſit, Deumque immortalem quem non exiſtere credit, ut teſtem & perfidiæ ultorem pro formâ invocavit, in judicando fore memorem? Quid curabit ejusmodi furfuris Judex Reorum crimina, quousque æſtimabit eorum perjuria, & ut paucis multa complectar, talismodi tam hominis, quam civis nihili faciet floccique pendet officia.

§. X.

Altera, quæ Judici criminali commendatur virtus, eſt *Honeſtas*, per verbum *Art. I. Ord. Crim.* erbahren Perſohnen ꝛc. cui opponitur *Turpitudo*, cujus fundamentum in libidine, petulantia & audacia ponit CICERO in *Orat. pro Fontej. Cap. 12.* Cum econtra idem Honeſtatem ita alibi collaudet, ut aſſerere non dubitet: Nihil eſſe, in vita magnopere expetendum, niſi laus & ho-

honeſtas; CICERO. pro *Arch. Cap. 6.* Hujus honeſtatis ratio, ſicut in primo juris Naturalis præcepto juxta *§. 3. Inſt. de J. & Jur.* continetur, ita eo magis & ſecundum excellentiam ab eo, qui judicandi munere fungi deſiderat, eſt habenda, ut ſcil. ſit integer tam famæ quam vitæ nec propter delictum, aliudque turpe factum infamiam Juris vel facti ſibi contraxerit; ne forſan illud ipſum eidem objici poſſit, ſuper quo alterum condemnare intendit. Non appoſite minus, quam graviter CAROLVS RVINVS *Vol. 3. Conſ. 23. n. 153.* ita de ejusmodi inhoneſto judice judicavit: *Quomodo*, inquit *incorruptum judicium de alterius delicto ferent illi, qui ipſi in eodem luto hæſerunt? & quomodo alterum ſuper eo delicto condemnabunt, qui de eodem nondum ſunt puniti? & quomodo integram pronunciabunt ſententiam quam conſcientia propria erga ipſos pronunciat quotidie? Nec ſufficit, ſum liberatus: delictum perpetratum eſt extinctum. Nam ſaucia conſcientia monebit, Te hoc promeruiſſe, quod in alium per ſententiam ſtatuere cogitas.*

§. XI.

TERTIA virtus judicis criminalis conſiſtit ex mente Caroli V. in *Prudentiâ*; quod indigitatur per Epitheton: Verſtändigen Perſonen ꝛc. Prudentia ejuſcemodi habitum & promptitudinem animi denotat, qua actiones noſtras ita dirigere novimus, ut finem intentum conſequamur. Talismodi habitus in Judice Criminali ſummopere neceſſarius. Neque enim ſola Juris criminalis peritia, quam ſimul præſupponit Imperator, rem conficit, ſed inſimul exactiſſima dijudicatio facti cum omnibus ejusdem circumſtantiis etiam minimis,

ac

ac animi promptitudo ad veritatem ejusdem perveniendi, dein vero judicioſe ac prudenter jus ad factum applicandi in illo requiritur, qui judicis criminalis prudentis nomen ſuſtinere deſiderat, â qua omnium alieniſſimi ſunt communiter ſubtilitatum generalium præſertim Juris Civilis nudi diſceptatores, quippe qui practico ut plurimum deſtituuntur judicio, adeoque ad munus Judicis criminalis ſuſtinendum non magis quam Juris imperiti ad cauſarum criminalium deciſionem ſunt idonei, præſertim, cum illæ ſæpenumero tam arduæ ſint, ut famam, corpus, vitam & univerſas hominis facultates ſœpe concernant & afficiant.

§. XII.

QVARTÆ virtutis ab Imperatore citato loco recenſitæ vicem ſuſtinet *Experientia*, quam prudentiæ matrem non inepte appellare nonnulli ſolent, ac in facultate conſiſtit, res geſtas ſive viſu, ſive auditu ſive aliunde perceptas in memoriam ſibi revocandi; quæ facultas non niſi ex uſu multiplici & cognitione in ipſis rerum argumentis præſente Inquiſito, præſentibus teſtibus, imò, ut KRESSIVS in *Not. ad Art. 1. Ord. Crim. §. 4. n. 3. p. 5.* loqui amat, præſente ipſo Carnifice à Judice criminali acquiritur, ac vix ac ne vix quidem in Academiis addiſcitur. Dici interea crediqne vix poterit, quot quibusve ſolœciſmis ejusmodi juvenes judices inexperti & in ipſis rerum argumentis nondum verſati juſtitiam criminalem utplurimum proſtituant, ac irreparabile ſæpe damnum miſellis Reis, utut innocentibus vel ex defectu judicii, rerum experientiâ non ſatis firmati & exacti, partim ex affectuum nimiâ & ſatis libera-

berali indulgentiâ, afferant, ſimul quoque famam totius provinciæ & civitatis haud raro lædant & diminuant.

§. XIII.

Ut ut autem nemo facile erit, qui ibit infitias, CAROLVM V. Imperatorem ſapienter admodum virtutes prælaudatas in judice criminali requiſiviſſe, ita, ut qui talibus non ſit dotatus, ejusmodi judicandi munere fungi non debeat; certum tamen eſt, illarum ſolam deficientiam exceptionem nullitatis contra inquiſitionem peractam vix ac ne vix quidem operari ſolere, quin potius de Judice ſuſpecto oppoſitionem inquiſito ſaltem ſupereſſe videri, ſi revera conſtet, vel dilucide oſtendi poſſit, eum, qui Proceſſum criminalem dirigit vel inſtruit, eſſe in honeſtum, vel irreligioſum, optimè idem obſervante celeberr. KRESSIO *Comment. ad art. I. usque IV. Ordin. Crim. §. 8.* ubi videri poteſt afferti hujus ratio, & præjudicium ex LYNCKERI *Reſol. 326.* allegatum, in *Not. 1. p. 8.*

CAP. II.

De Virtutibus & Officio Judicis criminalis in generali Inquiſitione.

§. I.

QVod in cauſis criminalibus non agatur de glande legenda, ſed de fama, corpore & vita hominis, certetur, ſupra jam â me fuit aſſertum, hinc non levi brachio arduum taſe negotium à Judice Criminali ſuſcipiendum eſſe, omnes, cui publica ſalus cu-

ræ

ræ cordique eſt, mecum ſentire exiſtimo. Statim ergo ab initio Inquiſitionis Judicem criminalem conſcientiæ ſuæ optime conſulere arbitror, ſi virtutum prælaudatarum non ſit immemor, quin potius omnem, quam poſſit, operam impendat, ut officia inde fluentia in inſtituendo, & dirigendo Proceſſu Inquiſitorio, fideliter obſervet & præſtet.

§. II.

Cum autem initium Inquiſitionis plerumque in Denunciatione, vel Fama ponatur, *Gloſſ. in cap. quoniam X. de Probat.* LANCELLOT. *de Offic. Prætor. in Crim. tit. Denunciat. c. 8.* ex omnibus circumſtantiis Judex Criminalis judicare ſolet, qualis ſit denunciatio? â quo ſit profecta? quibusque circumſtantiis veſtita? adeoque ita comparata, ut juſtam præbeat inquiſitionis anſam nec ne? An & fama publica ex dictionibus virorum probæ vitæ provenerit, an ſint ſolummodo ſiniſtri rumores ex malitia & odio maledicentium promanantes? Remotis enim per *Pietatem* ac *Prudentiam* quibusvis pravis affectibus, facile attinget ſcopum, in hiſce circumſtantiis neceſſarium.

§. III.

Denunciatione ac famâ ita examinatâ, & cum omnibus circumſtantiis fideliter ad Acta conſignatâ, Judex Criminalis *prudenter* ſegerat circa inveſtigationem corporis delicti, utpote cujus certitudo eſt de forma eſſentiali totius Proceſſus Inquiſitionis, qua deficiente omnia ſunt nulla, quæ ſequuntur. vid. JUST. OLDEKOPP. *in Obſervat. Criminal. Pract. T. 2. Obſervat. 8.* item, PROSP. FARINAC. *Proc. Crim. qu. 131. n. 54.* Media,

qui-

quibus Judex Criminalis circa inveſtigationem Corporis Delicti *prudenter* uti poteſt ac debet, diſtincte recenſuit *Illuſtr. Dn.* JAC. FRIDR. LUDOVICI in Einleitung zum peinlichen *Proceſs Cap. 1. §. 12. ſeqq.*

§. IV.

Ocularem inſpectionem, magnam utilitatem in corpore delicti inveſtigando, circa quædam delicta adferre, nemini cauſarum criminalium perito, poteſt eſſe ignotum. Per quotidianam itaque *Experientiam* Judex Criminalis, de hac utilitate edoctus, juſto tempore & ſine mora ulla, vel quoque ante auctoris inquiſitionem, illam exactiſſime inſtituet. Modus inſtituendi talem inſpectionem, *in Ordin. Criminal. Carl. V. art. 149.* diſtinctè præſcriptus legitur. Quid denique Judex *expertus* infanticidium examinando, circa inſpectionem tenelli cadaveris, & circa conſuetum pulmonis experimentum, quod injectione in aquam vulgo fit, ſoleat obſervare & judicare, non ſine jucunditate animi legi poteſt *in Tractatu Criminali Theoretico-Practico* CHRIST. JAC. HEILII *in cap. 1. §. 7. ut & apud* BEYER. *in delin. jur. crim. ad art. 33. ſeqq. poſit. 22. ſeqq.*

§. V.

Supra in *§. 2. præſ. Cap.* monitum, quomodo in cauſis Criminalibus Judex denunciationem & famam publicam perſcrutando, ſe gerere debeat. Non minoris virtutis eget talis Judex, ſi poſt exiſtentiam facti ſeu corporis delicti, poſtea quoque de autore facinoris ejusque indiciis certiorem ſe velit reddere. Ad laborem hunc feliciter obeundum, multum utilitatis adfert

Digitized by Google

fert (de qua & ipſe in Praxi edoctus ſum) quando autoris inquiſitio juxta tritum verſiculum:

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis, Cur? Quomodo? Quando?

inſtituitur. Si enim quæſtio e. g. eſt: *Quis* facinus commiſerit? Statim ſequentes oriuntur quæſtiones circa conditionem denunciati: Qualis nempe fuerit vita ante acta? An cum facinoroſis hominibus ſit converſatus? An peſſima fortaſſe laboret fama? An ex ipſius delinquendi conſuetudine poſſit conjecturari, ſe hoc vel illud delictum commiſiſſe &c.? De quibus indiciis, & unde ſint ordinariè petenda, ne actum agam, utiliter evolvi poteſt modo citatus Dn. HEIL *loc. cit. §. 9.* ut & LUDOVICI in der Einleitung zum peinlichen *Proceſs. Cap. I. §. 18.*

§. VI.

Si tandem Judex Criminalis circa inquiſitionem generalem verſatur, 1) caveat, ne prius inquirat de crimine, quam actus reverâ ſeu factum criminis adſit; 2) Caveat, ne ex leviſſima conjectura promiſcuè ac temerè aggrediatur facti inquiſitionem; 3) ſi adſit cauſa ad inquirendum idonea, de juſto ordine inquiſitionis ſit ſollicitus; 4) cum ad fingenda crimina, præſertim pro ſtatu hodierno corruptiſſimo, proni ſint homines, percontando ac interrogando, veritatem, uti *§. præced.* monitum, ſcrutetur; 5) non ſolum ſe gravem ad crimina vindicanda, ſed & pronum atque promptum ad liberandum innocentem gerat; 6) caveat, ne teſtem ſeu denunciantem de hac vel illa perſona, ſed tantum in genere quis delictum commiſerit, interroget; cum tales ſuggeſtiones certarum perſonarum ſemper ſint periculoſæ. *arg. L. 1. §. 21. ff. de quæſtion.*

de qua materia prolixè legi poteſt. *Ill* COCCEJI *Diſſ. de Suggeſtionibus*, per totum; 7) Qualitatem teſtium illarumque depoſitiones ritè examinet; 8) ne nimis præcipitanter ad inquiſitionem ſpecialem properet, caveat, ſed potius ſi eſt dubius, Collegium aliquod juridicum conſulendo, ab omni periculo e. gr. proceſſu injuriarum liberum ſe reddet; in utramque partem enim eſt peccare, aut perfunctoriè aut præcipitanter cauſam præſertim criminalem in Judicio tractare. vid. *Illuſtr.* CASP. ZIEGLER, *in Dicaſtice Concluſ. XXV. & XXVI.* 9) Omnia quoque ſecreto peragat; de quibus prolixius legi poteſt ſæpe citatus HEIL. *cit. Tract. cap. 1. §. 13.* aliique rerum criminalium non ultimæ farinæ Commentatores. Si, inquam, Judex Criminalis hancce ſecutus eſt methodum, quilibet de tali, quod deſiderata Judicis Criminalis officia haud neglexerit prædicabit.

CAPUT III.

Enarrat virtutes & officia Judicis Criminalis, in ſpeciali Inquiſitione & præſertim circa citationem rei, capturam, ſalvum Conductum &c. applicabiles.

§. I.

CUm inquiſitio ſpecialis à citatione rei, initium ſumere ſoleat, v. Dn. HEIL. *cit. Tract. Cap. II. §. 1.* officium erit Judicis criminalis, ſtatim ſecum perpendere, an ea tantum verbalis eſſe debeat, an vero reali, quæ captura perficitur, poſſit eſſe locus. Quomodo realis ſit ſuſcipienda, *Conſtit. Crimin. Caroli V. Art. XI.* normam præſcribit. Caveat igitur, ne & hic vel

in

in defectu vel in exceſſu peccet Judex, illam nimis negligenter aut nimis feſtinanter ſuſcipiendo. *Prudens* itaque ac expertus Judex in ſuccum & ſanguinem convertere ſciet omnia, quæ de hoc maximi momenti paſſu obſervanda protulerunt ſpectatæ eruditionis Viri, LUDOVICI in der Einleitung zum *Criminal-Proceſs. c. 2. §. 2. p. 9. & Dn.* HEIL *Proceſſ. Inquiſit. Cap. II. §. 4. 5. & 6. p. 41. ſeqq.* cum CARPZOVIO & aliis Praxeos criminalis commentatoribus quam plurimis.

§. II.

Circa determinationem carceris ſeu cuſtodiæ non minus debet eſſe *pius* ac *prudens*, judex Criminalis. Sive ſit talis ad reos cuſtodiendos *arg. l. 8. §. 9. ff. d. pœn.* ſive ſit ad pœnam comparata, uti exempla exhibet *Conſt. Crim. Caroli V. art. 157. 216.* Utroque caſu *pie* talem eligat cuſtodiam, qualem & leges publicæ, e. gr. *l. 1. Cod. de Cuſt. Reor.* & boni JCti Deum proximumque amantes, ſanis ex rationibus commendant. Ne miſeri homines incarcerati ex horrendis incommoditatibus carceris, jacturam valetudinis, animi ac corporis faciant, aut, quod ſanè *impium*, ex iſtiusmodi cruciatibus, illis mors immatura eveniat. V. LUDOVICI Einleitung zum *Criminal-Proceſs c. 2. §. 7. p. 11.* Hinc juſto zelo commotus Dn. HEIL *in Proceſſ. Inquiſit. c. 2. §. 8. p. 45.* Judices talia præcepta inſuper habentes, vocat *avaros, barbaros, ac omnis humanitatis oblitos.* Tandem modus tractandi captivos ſeu incarceratos, pro diverſitate dignitatum & qualitatum, præſertim quando exiſtit caſus de incarceratione criminis Sociorum aut diverſi Sexus, multum *prudentiæ* ac circumſpectionis â Judice Criminali exigit. Qualia ſaluberrima præcepta ordine recenſere ſtudio brevitatis ſuperſedeo, cum ſupra citatus Autor *cap. 2. §. 9. & 10.* eadem tradiderit, ad quem me brevitatis cauſa remitto.

tractantur, *L. 25. §. f. ff. ad SCt. Silan. §. 10. Inſt. de Injur. L. 9. §. 5. ff. de Publican. & Vectigal.* Compara, ſi velis, CARPZOVIUM *Pr. Crim. P. 3. qu 102. n. 78.* ubi ſatis notam Juris Civilis & Saxonici quoad cauſarum criminalium appellationem invenies, juxta quod poſterius cauſæ criminales illæ demum dicuntur, quæ corpus affligunt.

§. II.

Omne judicium, præter cæteras perſonas principales & acceſſorias, Judice potiſſimum ſtabilitum eſſe oportet, ergo nec criminale eodem carere poterit, quod ut multis argumentis eatur probatum, non eſt neceſſitatis. In id tamen ut inquiratur, quibusnam qualitatibus & virtutibus judex criminalis, ſi rite officio ſuo fungi velit, præditus eſſe debeat, operæ forſan erit pretium. Quodſi probi Judicis requiſita in univerſum æſtimare velimus, ea egregie & in compendio deſcripta reperiuntur tàm in ORDINATIONE CAMERALI quam in RECESSIBUS Imperii, & ipſo SPECULO SUEVICO, quarum Imperii Legum loca ſollicite congeſta videri poſſunt apud ANDLERUM *Tom. I. Rec. Imp.* & prælaudati *Speculi Suevici* contenta cum eleganti ac docta Epicriſi recenſuit excell. KRESSIUS in *Diſſert. de Ration. decidend. Cap. 4. pag.* 72. ad quos, ne actum agam, brevitatis ſtudio, me remitto, in eô ſpeciatim nunc occupatus, ut quænam, Judicis Criminalis virtutes ſint & qualitates, breviſſimis adumbrem, atque oſtendam.

§. III.

Has ipſas depictas inſtar omnium nobis reliquit In-

Inviƈtiſſimus Imper. CAROLUS V. cum Imperii ſtatibus in *ordinatione Criminali Art. I.* ſequentibus verbis: Erſtl. ſetzen/ ordnen und wollen wir/ daß alle Peinl. Gericht mit Richtern/ Urtheilern ꝛc. beſetzet werden ſollen/ von frommen, ehrlichen, verſtändigen und erfahrnen Perſohnen/ ſo tugendlichſt und beſt dieſelbige/ nach Gelegenheit jedes Orts gehabt und zu bekommen seyn. Darzu auch Edle und Gelehrte gebraucht werden mögen ꝛc. Nemo non videt, quatuor potiſſimum qualitatum ac virtutum mentionem fieri, ſcilicet (1) *Pietatis* (2) *Honeſtatis*, (3) *Prudentiæ* & denique (4) *Experientiæ.* Egregiæ profeƈto virtutes, quæ, ſi in perſona Judicis confluant, nullum dubium, quin juſtitia in decidendis controverſiis & caſibus criminalibus exaƈte adminiſtretur, cum econtra illis vel in univerſum vel ſigillatim deficientibus metuendum ſit, ne injuſtæ ſententiæ tam in Reorum, quam reipublicæ damnum & perniciem proferantur, atque ſic tam finis Legum latarum, quam Jurisprudentiæ nequaquam obtineatur.

§. IV.

Ne tamen ab omni traƈtandi ordine alienus eſſe videar, ita in præſenti ſpecimine Inaugurali verſabor, ut præprimis in primo Capite paucula quædam de ſingulis hiſce virtutibus generatim proponam, ac dein, in reliquis capitibus, quomodo per totum Proceſſum Criminalem ac ſingulas ejusdem partes prælaudatæ virtutes vim & effeƈtum ſuum in Judice applicative ſe ſe exerant, vel potius exerere debeant, ſuccinƈta & qua fieri poteſt, brevitate, ob temporis, intra quod ſum coarƈtatus, anguſtiam demonſtrem.

§. V.

§. V.

Dum itaque in Rubricâ Diſſertationis mentionem virtutum Judicis criminalis injeci, neminem facile fore confido, qui neget: In ejusmodi judice conſtans animi propoſitum, actiones officii omnes ad legem componendi, requiri. Ita enim definiri ſolet virtus, quod ſit conſtans vitam ad legem componendi animi propoſitum, cujus proprietates non ſolum in infucato ſtudio toto animo ad voluntatem Numinis & Legislatoris attendendi, & in eam inquirendi, ſed quoque eandem exequendi, ac actiones ad eam tam accurate conformandi, ut nec in defectu nec exceſſu peccetur. Hæc virtus cum per varias actiones ſe ſe exerat, quæ dein â Jurisprudentia diriguntur, *officium* etiam appellitari poterit, adeoque mihi perinde erit, ſi pro voce: *virtutis*, in rubricâ poſita, vocabulum: *Officii* ſubſtituere malis; quamvis ea, quæ officii rationem ſubeunt, ab iis, quæ virtutis ſunt, ſecundum Philoſophiæ practicæ principia proprie differre non ignorem, cum multa per officii rationes fieri queant, quæ tamen ex virtute, hoc eſt, ſtudio ſuas actiones ad voluntatem Numinis componendi, non fluant. Hinc officium â PUFFENDORFFIO *tr. de officio hominis & civis L. 1. C. 1. §. 1.* dicitur actio hominis pro ratione obligationis ad perſcriptum legum recte attemparata.

§. VI.

Ex quo verò IMPER. CAROLUS V. citato *Art. 1. Conſt. Criminalis* quatuor ſupra dictarum Virtutum meminit, pietatis ſcil. honeſtatis, prudentiæ & experientiæ, dicendum eſt, eum ad potiſſimas tantum reſpexiſſe,

xiſſe, cæteras autem præter nominatas hoc ipſo noluiſſe excluſas; Neque, dum has ipſas virtutes in rerum criminalium judice requirit, protinus exiſtimandum, â cauſarum civilium judice easdem eſſe poſſe alienas. Nam & hunc tam pium & honeſtum, quam prudentem & rerum expertum eſſe debere, ſi munere demandato rite fungi velit, res ipſa loquitur; hoc tamen negari nequit, propter cauſarum criminalium gravitatem cum fortunæ, corporis & vitæ periculo conjunctam, in judice criminali easdem qualitates requiri eo magis ac per excellentiam.

§. VII.

Per judicem criminalem intelligitur talis perſona, quæ publica pollet autoritate de cauſis criminalibus cognoſcendi, illasque decidendi & exequendi. Non itaque ſermo eſt de *arbitro*, cui quidem etiam poteſtas in cauſis controverſis non exceptis judicandi, ſed *privata* ſaltem, ex partium compromiſſo, non tamen *publica* competit; Imo cauſas criminales ne quidem arbitro ex compromiſſo partium cognoſcendas & decidendas committi poſſe ex *L. 32. §. 6. ff. de Recept. qui arbitrium recep.* ſatis manifeſtum eſt. Confer. JOAN. à SANDE *Deciſ. Friſic. tit. 8. def. 5.*

§. VIII.

Hic autem judex criminalis duplicis eſt generis. Vel enim Jurisdictionem, quam exercet, habet in patrimonio, vel illam ſaltem intuitu officii, quod ſuſtinet, perſonalis adminiſtrat. Prioris generis ſunt illi, qui prædia feudalia, quibus jurisdictio alta ſ. criminalis inhæret, poſſident; adeoque hæc ipſa jurisdictio quo-

que regulariter feudalis eſt, quamvis infitias iri non poſſit, illam alicubi etiam jure allodii haberi cœpiſſe, & hæreditariam factam fuiſſe, teſte CONRINGIO *de Judiciis* §. 83. Hæc patrimonialis jurisdictio nobilibus ipſis intuitu prædiorum, quæ poſſident, juxta *Art.* 2. *Ord. crim.* exercenda eſt, ita ut nec eandem regulariter delegare, vel alteri exercendam mandare poſſint. Id quod ex ipſis Juris Romani principiis productum eſſe arbitror, ex quibus conſtat, quod merum imperium lege ſpeciali competierit, conſequenter nec in regulâ, niſi ob neceſſariam abſentiam, vel adverſam valetudinem mandari potuerit. *L. 1. pr. & §. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. eſt jurisd.* Sed moribus noſtris aliud nihiloſecius invaluiſſe, quotidianâ condocemur experientiâ; cum Nobiles Dominique Jurisdictionum rariſſimè Judicio Criminali ipſi aſſidere vel judicare, ſed per officialem vel juſtitiarium, licet nulla adſit delegationis cauſa, jurisdictionem criminalem exercere ſoleant.

§. IX.

Nunc ad ipſas Judicis criminalis virtutes ſupra laudatas me conferam, inter quas *Pietas* primum locum ſibi vindicat, quod verba dicti *Art. 1. Ord. Crim.* ſatis indicant: ibi: Daß alle Peinl. Gerichte mit Richtern/ Urtheilern ꝛc. verſehen und beſetzet werden ſollen/ mit frommen ꝛc. Perſohnen. Pietatis varios ſignificatus non morabor, quos reperire licet apud doctiſſ. BUDEUM in *ſelect. Jur. Nat. & Gent. Diſſert.* de *Pietate Philoſophica* §. 3. *ſeqq. p.* 199. & 200. Hoc nomine nihil aliud mihi venit, quam officia erga immortale præpotensque Numen; quorum neglectus vi oppoſitorum impietatem denotat,

tat, quæ judicis criminalis muneri ita officit, ut illud plane ſubvertat & deſtruat. Pietatis ſane defectus reliquas Judicis virtutes, ſi quas habere poſſit, quo minus radices agere ac in ſuccum & ſanguinem verti queant, impedit & ſuffocat. Neque â veritate aberrare mihi videntur, qui aſſerunt, quod utut in pietate voluntatisque emendatione nec eruditio nec prudentia conſiſtat, neutram harum tamen verè ſine pietate conſiſtere poſſe. Ab hâc pietate, ſine dubio & inſtar omnium ſunt alieniſſimi, qui atheiſmi monſtroſis ſtultisque prorſus principiis ſunt imbuti. Quid quæſo juſti, quid æqui, quid denique recti a Judice, qui Deum non agnoſcit, quique omnis plane de eo ſenſus eſt expers, in tam graviſſimo negotio & judicandi munere tibi promittere poteris? Putasne talem jurisjurandi, quô juſtitiam adminiſtraturum promiſit, Deumque immortalem, quem non exiſtere credit, ut teſtem & perfidiæ ultorem pro formâ invocavit, in judicando fore memorem? Quid curabit ejusmodi furfuris Judex Reorum crimina, quousque æſtimabit eorum perjuria, & ut paucis multa complectar, talismodi tam hominis, quam civis nihili faciet floccique pendet officia.

§. X.

Altera, quæ Judici criminali commendatur virtus, eſt *Honeſtas*, per verbum *Art. I. Ord. Crim.* erbahren Perſohnen ꝛc. cui opponitur *Turpitudo*, cujus fundamentum in libidine, petulantia & audacia ponit CICERO in *Orat. pro Fontej. Cap. 12.* Cum econtra idem Honeſtatem ita alibi collaudet, ut aſſerere non dubitet: Nihil eſſe, in vita magnopere expetendum, niſi laus &

honeſtas; CICERO. pro *Arch. Cap. 6.* Hujus honeſtatis ratio, ſicut in primo juris Naturalis præcepto juxta *§. 3. Inſt. de J. & Jur.* continetur, ita eo magis & ſecundum excellentiam ab eo, qui judicandi munere fungi deſiderat, eſt habenda, ut ſcil. ſit integer tam famæ quam vitæ nec propter delictum, aliudque turpe factum infamiam Juris vel facti ſibi contraxerit; ne forſan illud ipſum eidem objici poſſit, ſuper quo alterum condemnare intendit. Non appoſite minus, quam graviter CAROLVS RVINVS *Vol. 3. Conſ. 23. n. 153.* ita de ejusmodi inhoneſto judice judicavit: *Quomodo*, inquit *incorruptum judicium de alterius delicto ferent illi, qui ipſi in eodem luto hæſerunt? & quomodo alterum ſuper eo delicto condemnabunt, qui de eodem nondum ſunt puniti? & quomodo integram pronunciabunt ſententiam quam conſcientia propria erga ipſos pronunciat quotidie? Nec ſufficit, ſum liberatus: delictum perpetratum eſt extinctum. Nam ſaucia conſcientia monebit, Te hoc promeruiſſe, quod in alium per ſententiam ſtatuere cogitas.*

§. XI.

TERTIA virtus judicis criminalis conſiſtit ex mente Caroli V. in *Prudentiâ;* quod indigitatur per Epitheton: Verſtändigen Perſonen ꝛc. Prudentia ejuſcemodi habitum & promptitudinem animi denotat, qua actiones noſtras ita dirigere novimus, ut finem intentum conſequamur. Talismodi habitus in Judice Criminali ſummopere neceſſarius. Neque enim ſola Juris criminalis peritia, quam ſimul præſupponit Imperator, rem conficit, ſed inſimul exactiſſima dijudicatio facti cum omnibus ejusdem circumſtantiis etiam minimis,

ac

ac animi promptitudo ad veritatem ejusdem perveniendi, dein vero judicioſe ac prudenter jus ad factum applicandi in illo requiritur, qui judicis criminalis prudentis nomen ſuſtinere deſiderat, â qua omnium alieniſſimi ſunt communiter ſubtilitatum generalium præſertim Juris Civilis nudi diſceptatores, quippe qui practico ut plurimum deſtituuntur judicio, adeoque ad munus Judicis criminalis ſuſtinendum non magis quam Juris imperiti ad cauſarum criminalium deciſionem ſunt idonei, præſertim, cum illæ ſæpenumero tam arduæ ſint, ut famam, corpus, vitam & univerſas hominis facultates ſæpe concernant & afficiant.

§. XII.

QVARTÆ virtutis ab Imperatore citato loco recenſitæ vicem ſuſtinet *Experientia*, quam prudentiæ matrem non inepte appellare nonnulli ſolent, ac in facultate conſiſtit, res geſtas ſive viſu, ſive auditu ſive aliunde perceptas in memoriam ſibi revocandi; quæ facultas non niſi ex uſu multiplici & cognitione in ipſis rerum argumentis præſente Inquiſito, præſentibus teſtibus, imò, ut KRESSIVS in *Not. ad Art. 1. Ord. Crim. §. 4. n. 3. p. 5.* loqui amat, præſente ipſo Carnifice â Judice criminali acquiritur, ac vix ac ne vix quidem in Academiis addiſcitur. Dici interea credique vix poterit, quot quibusve ſolœciſmis ejusmodi juvenes judices inexperti & in ipſis rerum argumentis nondum verſati juſtitiam criminalem utplurimum proſtituant, ac irreparabile ſæpe damnum miſellis Reis, utut innocentibus vel ex defectu judicii, rerum experientiâ non ſatis firmati & exacti, partim ex affectuum nimiâ & ſatis li-

berali indulgentiâ, afferant, ſimul quoque famam totius provinciæ & civitatis haud raro lædant & diminuant.

§. XIII.

Ut ut autem nemo facile erit, qui ibit infitias, CAROLVM V. Imperatorem ſapienter admodum virtutes prælaudatas in judice criminali requiſiviſſe, ita, ut qui talibus non ſit dotatus, ejusmodi judicandi munere fungi non debeat; certum tamen eſt, illarum ſolam deficientiam exceptionem nullitatis contra inquiſitionem peractam vix ac ne vix quidem operari ſolere, quin potius de Judice ſuſpecto oppoſitionem inquiſito ſaltem ſupereſſe videri, ſi revera conſtet, vel dilucide oſtendi poſſit, eum, qui Proceſſum criminalem dirigit vel inſtruit, eſſe in honeſtum, vel irreligioſum, optimè idem obſervante celeberr. KRESSIO *Comment. ad art. I. usque IV. Ordin. Crim. §. 8.* ubi videri poteſt aſſerti hujus ratio, & præjudicium ex LYNCKERI *Reſol. 326.* allegatum, in *Not. 1. p. 8.*

CAP. II.

De Virtutibus & Officio Judicis criminalis in generali Inquiſitione.

§. I.

QVod in cauſis criminalibus non agatur de glande legenda, ſed de fama, corpore & vita hominis, certetur, ſupra jam â me fuit aſſertum, hinc non levi brachio arduum tale negotium à Judice Criminali ſuſcipiendum eſſe, omnes, cui publica ſalus cu-

Digitized by Google

ræ cordique eſt, mecum ſentire exiſtimo. Statim ergo ab initio Inquiſitionis Judicem criminalem conſcientiæ ſuæ optime conſulere arbitror, ſi virtutum prælaudatarum non ſit immemor, quin potius omnem, quam poſſit, operam impendat, ut officia inde fluentia in inſtituendo, & dirigendo Proceſſu Inquiſitorio, fideliter obſervet & præſtet.

§. II.

Cum autem initium Inquiſitionis plerumque in Denunciatione, vel Fama ponatur, *Gloſſ. in cap. quoniam X. de Probat.* LANCELLOT. *de Offic. Prætor. in Crim. tit. Denunciat. c. 8.* ex omnibus circumſtantiis Judex Criminalis judicare ſolet, qualis ſit denunciatio? â quo ſit profecta? quibusque circumſtantiis veſtita? adeoque ita comparata, ut juſtam præbeat inquiſitionis anſam nec ne? An & fama publica ex dictionibus virorum probæ vitæ provenerit, an ſint ſolummodo ſiniſtri rumores ex malitia & odio maledicentium promanantes? Remotis enim per *Pietatem* ac *Prudentiam* quibusvis pravis affectibus, facile attinget ſcopum, in hiſce circumſtantiis neceſſarium.

§. III.

Denunciatione ac famâ ita examinatâ, & cum omnibus circumſtantiis fideliter ad Acta conſignatâ, Judex Criminalis *prudenter* ſegerat circa inveſtigationem corporis delicti, utpote cujus certitudo eſt de formâ eſſentiali totius Proceſſus Inquiſitionis, qua deficiente omnia ſunt nulla, quæ ſequuntur. vid. JUST. OLDEKOPP. *in Obſervat. Criminal. Pract. T. 2. Obſervat. 8.* item, PROSP. FARINAC. *Proc. Crim. qu. 131. n. 54.* Media,

qui-

quibus Judex Criminalis circa inveſtigationem Corporis Delicti *prudenter* uti poteſt ac debet, diſtincte recenſuit *Illuſtr. Dn.* JAC. FRIDR. LUDOVICI in Einleitung zum peinlichen *Proceſs Cap. 1. §. 12. ſeqq.*

§. IV.

Ocularem inſpectionem, magnam utilitatem in corpore delicti inveſtigando, circa quædam delicta adferre, nemini cauſarum criminalium perito, poteſt eſſe ignotum. Per quotidianam itaque *Experientiam* Judex Criminalis, de hac utilitate edoctus, juſto tempore & ſine mora ulla, vel quoque ante auctoris inquiſitionem, illam exactiſſime inſtituet. Modus inſtituendi talem inſpectionem, *in Ordin. Criminal. Carl. V. art. 149.* diſtinctè præſcriptus legitur. Quid denique Judex *expertus* infanticidium examinando, circa inſpectionem tenelli cadaveris, & circa conſuetum pulmonis experimentum, quod injectione in aquam vulgo fit, ſoleat obſervare & judicare, non ſine jucunditate animi legi poteſt *in Tractatu Criminali Theoretico-Practico* CHRIST. JAC. HEILII *in cap. 1. §. 7. ut & apud* BEYER. *in delin. jur. crim. ad art. 33. ſeqq. poſit. 22. ſeqq.*

§. V.

Supra in *§. 2. præſ. Cap.* monitum, quomodo in cauſis Criminalibus Judex denunciationem & famam publicam perſcrutando, ſe gerere debeat. Non minoris virtutis eget talis Judex, ſi poſt exiſtentiam facti ſeu corporis delicti, poſtea quoque de autore facinoris ejusque indiciis certiorem ſe velit reddere. Ad laborem hunc feliciter obeundum, multum utilitatis adfert

ſert (de qua & ipſe in Praxi edoctus ſum) quando autoris inquiſitio juxta tritum verſiculum:

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis, Cur? Quomodo? Quando?

inſtituitur. Si enim quæſtio e.g. eſt: *Quis* facinus commiſerit? Statim ſequentes oriuntur quæſtiones circa conditionem denunciati: Qualis nempe fuerit vita ante acta? An cum facinoroſis hominibus ſit converſatus? An peſſima fortaſſe laboret fama? An ex ipſius delinquendi conſuetudine poſſit conjecturari, ſe hoc vel illud delictum commiſiſſe &c.? De quibus indiciis, & unde ſint ordinariè petenda, ne actum agam, utiliter evolvi poteſt modo citatus Dn. HEIL *loc. cit. §. 9.* ut & LUDOVICI in der Einleitung zum peinlichen *Proceſs. Cap. I. §. 18.*

§. VI.

Si tandem Judex Criminalis circa inquiſitionem generalem verſatur, 1) caveat, ne prius inquirat de crimine, quam actus reverâ ſeu factum criminis adſit; 2) Caveat, ne ex leviſſima conjectura promiſcuè ac temerè aggrediatur facti inquiſitionem; 3) ſi adſit cauſa ad inquirendum idonea, de juſto ordine inquiſitionis ſit ſollicitus; 4) cum ad fingenda crimina, præſertim pro ſtatu hodierno corruptiſſimo, proni ſint homines, percontando ac interrogando, veritatem, uti *§. præced.* monitum, ſcrutetur; 5) non ſolum ſe gravem ad crimina vindicanda, ſed & pronum atque promptum ad liberandum innocentem gerat; 6) caveat, ne teſtem ſeu denunciantem de hac vel illa perſona, ſed tantum in genere quis delictum commiſerit, interroget; cum tales ſuggeſtiones certarum perſonarum ſemper ſint periculoſæ. *arg. L. 1. §. 21. ff. de quæſtion.*

de qua materia prolixè legi poteſt. *Ill* COCCEJI *Diſſ. de Suggeſtionibus*, per totum; 7) Qualitatem teſtium illarumque depoſitiones ritè examinet; 8) ne nimis præcipitanter ad inquiſitionem ſpecialem properet, caveat, ſed potius ſi eſt dubius, Collegium aliquod juridicum conſulendo, ab omni periculo e. gr. proceſſu injuriarum liberum ſe reddet; in utramque partem enim eſt peccare, aut perfunctoriè aut præcipitanter cauſam præſertim criminalem in Judicio tractare. vid. *Illuſtr.* CASP. ZIEGLER, *in Dicaſtice Concluſ. XXV. & XXVI.* 9) Omnia quoque ſecreto peragat; de quibus prolixius legi poteſt ſæpe citatus HEIL. *cit. Tract. cap. II. §. 13.* aliique rerum criminalium non ultimæ farinæ Commentatores. Si, inquam, Judex Criminalis hancce ſecutus eſt methodum, quilibet de tali, quod deſiderata Judicis Criminalis officia haud neglexerit prædicabit.

CAPVT III.

Enarrat virtutes & officia Judicis Criminalis, in ſpeciali Inquiſitione & præſertim circa citationem rei, capturam, ſalvum Conductum &c. applicabiles.

§. I.

CUm inquiſitio ſpecialis à citatione rei, initium ſumere ſoleat, v. Dn. HEIL. *cit. Tract. Cap. II. §. 1.* officium erit Judicis criminalis, ſtatim ſecum perpendere, an ea tantum verbalis eſſe debeat, an vero reali, quæ captura perficitur, poſſit eſſe locus. Quomodo realis ſit ſuſcipienda, *Conſtit. Crimin. Caroli V. Art. XI.* normam præſcribit. Caveat igitur, ne & hic vel

in

in defectu vel in exceſſu peccet Judex, illam nimis negligenter aut nimis feſtinanter ſuſcipiendo. *Prudens* itaque ac expertus Judex in ſuccum & ſanguinem convertere ſciet omnia, quæ de hoc maximi momenti paſſu obſervanda protulerunt ſpectatæ eruditionis Viri, LUDOVICI in der Einleitung zum *Criminal-Proceſs.* c. 2. §. 2. p. 9. & *Dn.* HEIL *Proceſſ. Inquiſit. Cap. II. §. 4. 5. & 6. p. 41. ſeqq.* cum CARPZOVIO & aliis Praxeos criminalis commentatoribus quam plurimis.

§. II.

Circa determinationem carceris ſeu cuſtodiæ non minus debet eſſe *pius* ac *prudens*, Judex Criminalis. Sive ſit talis ad reos cuſtodiendos *arg. l. 8. §. 9. ff. d. pœn.* ſive ſit ad pœnam comparata, uti exempla exhibet *Conſt. Crim. Caroli V. art. 157. 216.* Utroque caſu *pie* talem eligat cuſtodiam, qualem & leges publicæ, e. gr. *l. 1. Cod. de Cuſt. Reor.* & boni JCti Deum proximumque amantes, ſanis ex rationibus commendant. Ne miſeri homines incarcerati ex horrendis incommoditatibus carceris, jacturam valetudinis, animi ac corporis faciant, aut, quod ſanè *impium*, ex iſtiusmodi cruciatibus, illis mors immatura eveniat. V. LUDOVICI Einleitung zum *Criminal-Proceſs c. 2. §. 7. p. 11.* Hinc juſto zelo commotus Dn. HEIL *in Proceſſ. Inquiſit. c. 2. §. 8. p. 45.* Judices talia præcepta inſuper habentes, vocat *avaros, barbaros, ac omnis humanitatis oblitos.* Tandem modus tractandi captivos ſeu incarceratos, pro diverſitate dignitatum & qualitatum, præſertim quando exiſtit caſus de incarceratione criminis Sociorum aut diverſi Sexus, multum *prudentiæ* ac circumſpectionis â Judice Criminali exigit. Qualia ſaluberrima præcepta ordine recenſere ſtudio brevitatis ſuperſedeo, cum ſupra citatus Autor *cap. 2. §. 9. & 10.* eadem tradiderit, ad quem me brevitatis cauſa remitto.

§. III.

Sed ſi reus fugam capeſſiverit, quale tunc erit Judicis Criminalis officium? Diſtinguendum: An fugitivus tale commiſerit delictum, quod vel poenam corporis afflictivam ſeu mortis arguit nec ne? Priori caſu opus omnino erit literis arreſtatoriis patentibus, vulgo: **Steck-Brieffe.** Dn. LUDOVICI **Einleitung zum** *Criminal-Proceſs c. 3. §. 3. p. 16.* Accuratam ac ſufficientem ſciagraphiam de hiſce literis exhibet peculiaris Diſſertatio de literis arreſtatoriis, lectu digniſſima HENRICI ECKOLDI *Lipſiæ 1678.* habita. Sin autem talis fugitivus, uti quotidiana docet experientia, ita latitet, ut recuperari nequeat, edictaliter citandus. Dn. LUDOVICI *l. c. §. 6.* ſi tale delictum atrox non adſit, atque pœna etiam in abſentem executioni mandari poſſit, literis arreſtatoriis ne quidem opus erit. conf. *Illuſt.* WERNII. *Comp. Jur. Lib. IV. Tit. 31. §. 20. p. 381.*

§. IV.

Cum juxta tritum brocardicon ex carcere male reſpondeatur, & hac ratione fugitivus inſuper habeat citationes edictales, innocentem tamen ſe credat, hancque ob cauſam ad ſuam innocentiam deducendam literas exigat aſſecuratorias, quas ſalvum conductum vocamus, cautè procedendum Judici, ne petenti ſtatim tales literas tribuat, niſi antea de ſufficienti cautione ſecurus ſit. Talis vero cautio an ſit fidejuſſoria an pignoratitia, nihil refert; vid. Dn. LUDOVICI *cit.* **Einleitung zum** *Criminal-Proceſs. c. 3. §. 12.* dummodo habita imprimis ratione delicti, conditionis rei, aliarumque circumſtantiarum, *prudenter* ſatisque determinata ſit. vid. Dn. HEIL *cit. Tractat. c. 2. §. 19.* Non minori quoque circumſpectione Judex caveat, ne cautionem juratoriam, niſi in delictis levioribus, ad poenam corporis afflictivam non tendentibus, facile admittat arg. Dn. BEYERI *in Poſ. ff. tit. de cuſtod. & Exhib. Reor. poſ. 16. 17.* & per hoc, reo anſam ad pejerandum præbeat. Dn. LUDOVICI *in Introd. ad Proceſſ. Crim. c. 3. §. 12.*

§. V.

Si in ullo capite totius inquiſitionis, Judicis Criminalis judicium ac *pietas* eluceſcat, certè ex articulis inquiſitionalibus, quos formavit, id æſtimari poterit. Ejuſcemodi enim

arti-

articuli ex genuino delicti perpetrati ſtatu, attentis omnibus facti circumſtantiis, tam Reo faventibus quam eidem contrariis, clare, perſpicuè, ſuccinctè, unimembres, non captioſe, non obſcure, nec contradictorie ſunt concipiendi, ut forſan fallatur & inducatur ad confitendum Reus innocens, quale decipiendi fallendique ſtudium â ſanctitate, gravitate & ſinceritate muneris, cui Judex criminalis præeſt, procul abeſſe debere, in omnium cordatiorum & piorum JCtorum ore eſt.

§. VI.

Tam magnum eſſe defenſionis favorem, ita ut ne beſtiis quidem, quid quod? juxta locutionem JCtorum, nec Diabolo ipſi, ſit deneganda, *arg. l. 1. ff. d. J. & J.* MEVIUS *P. 4. Dec. 125. n. 3.* ex omni parte perſpectum eſſe debet *Judici criminali.* Itaque non difficilis eſſe debet, ad iſtam inquiſito concedendam, ſive agatur de defenſione pro avertenda inquiſitione aut tortura, ſive pro avertendo purgatorio, aut pro mitiganda pœna. *Prudenter* modo ſe gerat, ſi reus pro avertenda tortura defenſionem ſuſcipit, ne defenſori integrum Actorum copiam faciat, ſed folia, quibus ſententia torturæ ejusve gradus continetur, ab actis ſeponat, ne ad aures forſan inquiſiti perveniat, quis torturæ gradus ſit conſtitutus. Sic *pium* quoque officium Judicis criminalis requirit, ut ſemper, licet reus defenſioni renunciet, aut nullos amicorum adſit, qui iſtam urgeat, de iſta ex officio ſuo quô fungitur, nobili ſit ſollicitus. *v. Dn.* LUDOVICI *in Introd. ad Proceſſ. Crim. c. 8. §. 7. 8.* Cum e contrario valdè *impium* ſit, ſi talis judex inquiſitum multis ac coacervatis ſuaſionibus inducere conetur, ut defenſioni renunciet ſub falſo prætextu, illum per hanc nihil fore effecturum, ſed illi nihilo ſecius pœnam promeritam eſſe ſubeundam *§. 9.*

CAPUT. IV.

Commendat officia Judicis Criminalis, circa utramque torturam, & ſpiritualem & Corporalem applicanda.

§. I.

IN optatis profecto habendum, ſi præter torturam & juramenta alius modus veritatem circa litigia & delicta inveniendi, poſſit excogitari. Aſt, quia hoc, usque ad finem rerum, manebit merè pium deſiderium, & quotidiana exempla non ceſſabunt, ubi per abuſum in quibusdam litigiis ac delictis quaſi neceſſaria audire oporteat perjuria; hinc eo magis, Judex Criminalis, circa iſtud arduum ac ſummum negotium, pœnas & temporales & æternas arguens, circumſpectior juxta virtutes deſideratas, eſſe debet.

§. II.

Pietatis itaque ac *prudentiæ* erit, ſi *Judex Criminalis* non promiſcuè quoscunque admittat ad purgatorium. Cum enim purgatorium, Judici ſit tantum ſubſidiarium remedium & extraordinarium, ad quod non liceat confugere, niſi planè remediis aliis deficientibus; vid. PETR. HEIG. *qu. 40. n. 43.* hinc non admittere debet reum ad illud præſtandum, licet juſtè dictatum, ſi nova exiſtant indicia, quibus delictum inculpatum probari queat. Sic quoque juxta LL. præſcriptas arceat talem à purgatorio, qui in aliena cauſa propter infamiam non admittendus eſt ad teſtimonium dicendum. *v. l. 3. ff. de Teſt.* Ejusdem rationis eſt de perjurii ſuſpectis, *c. 5. c. 22. qu. 5. junct. c. 26. X. de jurejur. Ill. Dn.* BERGER. *in Oecon. Jur. Lib. 4. Tit. 25. th. 1. n. 6.* Multo minus vero credat Judex de perjurio jamjam evidenter convicto, ſed eo magis talem à purgatorio removeat. *arg. c. 14. c. 22. qu. 5, c. 23. in fin. c. 2. qu. 6. c. 1. X. de Purg. Can.* confer. Dn. JO. FRID. WERNHERVS in *annotationibus ad Compend. Jur. Ill.* BALTH. WERNH. *L. IV. T. 4. §. 4. p. m. 198.* ubi de pruritu jurandi in terris Saxonicis non parum conqueſtus eſt.

§. III.

Quia juramenta fruſtratoria, non minus ac ipſa perjuria, ſerio ſunt evitanda, cum æquè per illa atque per hæc, ſanctiſſimi Numinis nomen profanari ſolet. Ill. Dn. à BERGER. in *Oecon. Jur. L. 4. T. 25. th. 5. not. 4.* Sic *pius* Judex, publicata ſententiâ, in qua purgatorium fuit dictatum, non ſtatim ad illud audiendum, ſe pronum geret. Sed magis inquiſito anſam præbebit, ad defenſionem pro avertendo purgatorio ſuſcipiendam, dummodo ex Actis vel aliis rerum argumentis poſ-

poſſit judicare, adeſſe adhuc remedia, quibus rebus ſuſpiciones ſine juramento poſſit diluere. Hinc non ſatis deploranda eſt *impietas* ac vita irreligioſa quorundam judicum & Actuariorum, qui reos, coram ſancto tribunali expreſsè fatentes, ſe non poſſe illæſa conſcientia purgatorium præſtare, non ſolum plenis buccis in præſentia circumſtantium derident, ſed proh dolor! ad jurandum, vel potius pejerandum quaſi ſollicitant & invitant, non ſecum cogitantes, illum, qui pejerandi occaſionem præbet, majus delictum homicidio committere. De qua re, non ſine commotione animi legi poſſunt verba tremenda, *in c. 5. cauſ. 22. qu. 5.*

§. IV.

Si tandem poſt ſententiam publicatam *pius* judex reum ſerio admonuerit, ut per conceſſum deliberandi ſpatium, quod pro circumſtantiis inquiſiti, poteſt eſſe trium vel plurium dierum, conſcientiæ ſuæ penetralia ritè perſcrutetur, hic verò nihilominus in termino juratorio, ad præſtandum juramentum promtum ſe ſiſtat, multum ad conſcientiæ tranquillitatem boni & *pii* judicis facit, ſi probæ vitæ ac doctrinæ Clericum admittat, qui non ſolum ex Actis, antea ipſi communicatis, inquiſito indicia contra ipſum militantia ante oculos ponat, ſed etiam illum, præſertim regularum fidei ignarum de gravitate perjurii, gravibusque ex eo promanantibus pœnis & temporalibus & æternis, ſerio admoneat. Imo ipſe quoque judex ejusmodi admonitionem de vitando perjurio non negligat, quam tamen à multis inſuper haberi, experientiam habemus magiſtram, exiſtimantes, tale quid non eſſe officium Politici, ſed Theologi.

§. V.

Quod torturam attinet, cum ſit fallax & periculoſiſſimum remedium, ſumma cum circumſpectione in illa decernendâ & exequenda prudens & expertus judex verſari, adeoque in lévioribus delictis, & talibus, quorum poenæ, per ejus atrocitatem ſuperantur, nunquam dictabit, nec patietur, ut miſer inquiſitus ultra gradum in ſententia præſcriptum torturæ ſubjiciatur. In hunc finem carnifici, ſententia ante Torturam originaliter ad perlegendum oſtendi, LUDOVICI *in Introd. ad Proc. Crim. c. 9. §. 20.* hicque ad-

mo-

moneri debet, ne vel gradum Torturæ excedat, vel remiſſius inquiſitum torqueat. vid. *cit. loc.* §. 21. Et cum malitia Inquiſitorum nefanda ſit plerumque, ut per iſtorum inficationem præmediatam officium judicis ſæpius illudatur, caveat *prudens* judex, ne gradum Torturæ ſententiam verbotenus publicando, Inquiſito indicet, ſed tantum in genere dicat, illum tormentis, niſi confiteatur, eſſe ſubjiciendum. Ridiculum ſanè exemplum hujusmodi illuſionis ab *Ill.* Dn. LUDOVICI *loc. cit.* §. 10. adductum, legi meretur.

§. VI.

Si denique per ſententiam definitivam, omni finita defenſione, Inquiſito pœna mortis erit ſubeunda, hic vero actus inquiſitionis ultimus & Inquiſito tremorem & timorem incutere ſolet, Officium judicis poſtulat, ut non minus in hoc ultimo actu *prudentior*, ac in præcedentibus procedat. Licet enim leges publicæ *e. gr. l. 18. ff. de poen. l. 5. C. de Cuſtod. Reor. & ipſius conſt. crim. art.* 77. ſuadeant, executionem rei omnimodo eſſe maturandam, exceptis ſolis in caſibus à B. BRUNNEM. *in Proceſſ. inquiſ. c. 10.* allegatis; tamen non temère erit acceleranda.

§. VII.

Cum enim ſeriæ pœnitentiæ actus non ſit talis, ut horæ quadrante poſſit abſolvi, plerorumque vero maleficorum conditio ita ſit comparata, ut fundamenta religionis Chriſtianæ ordinemque ſalutis penitus ignorent, valde *impium* eſſe puto, ſi de hiſce circumſtantiis edoctus Judex, non plus temporis, ac præſcriptum triduum inquiſito ad præparationem mortis indulgeat. Et ne inquiſitus in ipſa præparatione mortis, per accurſum plebis, curioſitatis ergo plus, quam pietatis, advolantis, impediatur, officii *pii* judicis erit, ne præter Sacerdotes alioſque viros religioſos, cuilibet ex infima pleba aditum ad cuſtodiam patefaciat.

§. VIII.

Plura ut de hâc materiâ in medium proferam per temporis rationem prohibeor, quare hic pedem figo, atque ut benevolus Lector ea, quæ ſpeciminis Inauguralis loco pro ingenii modulo propoſui, æqui bonique conſulere, Deus vero T. O. M. in ſui Nominis gloriam, meamque & proximi ſalutem hoſce meos conatus Academicos dirigere velit, enixe contendo.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA